188

Monasterium Ejusq bona, sub Apostolicæ Sedis protectione suscipit, eaq confirmat.

Innocentius ettc Dilectis in Christo Filiabus Abbatissæ et Conventui Monasterii de Scala (Ts) Ordinis Sanctæ Claræ Cracovien: Diœcesis (Gs) Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum a nobis petitur quod, justum est ettc. (As) Eapropter dilectæ in Domino filiæ vestris justis postulationibus grato Concurrentes assensu personas vestras et locum, in quo Divino estis Obsequio mancipatæ, cum Omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum præstante Domino justis modis poteritis adipisci, sub Beati Petri, et Nostra protectione suscipimus: specialiter Autem vestras possessiones (Is), et alia Bona vestra, sicut ea juste et pacifice obtinetis, vobis et per vos vestro Monasterio Auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis Scripti patrocinio Communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ protectionis et Confirmationis infringere; vel ei ausu ettc

Datum Laterani Secundo Nonas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo (As)

---

Ts De Scala: Al De lapide S. Mariæ ex Oppido Zaviostensi Anno 1259 vel 1260 ob Tartarorum incursionem eo translatas ex literis Alexandri IV. quas quia ad nos sero transmissæ sunt dabimus in appendice

Gs Cracovien Diœcesis: Erat enim Monasterium extra Civitatem Cracoviæ Regni Poloniæ Regiam

As Justum est: ett. V. Epistola 72. Clementis IV

Is Possessiones: Quæ videri possunt in epistola 96 Alexandri IV data B. Cracoviæ et Sandomeriæ Duci Anno 1255 et in 2 hujus Operis tomo relata

As Hoc Monasterium postea translatum est intra Civitatem sub Joanne XXII, ut ibi videbimus